



1794

1794 / 16

AD

AVDIENDAM ORATIONEM

DE AERE ALIENO PRINCIPVM

QVA

PROFESSIONEM PHILOSOPHIAE ORDINARIAM

IN

ACADEMIA IVLIA CAROLINA

AVSPICATVRVS EST

A. D. XIII. SEPTEBRIS MDCCXCIV.

OBSERVANTISSIME INVITAT

IOANNES NICOLAVS BISCHOFF, D.

*Praemissa sunt nonnulla de politica rerumque cameralium
studiis, iuris cultoribus maxime necessariis.*

HELMSTADII

LITERIS C. G. FLECKEISEN, TYPOGR. ACADEM.

Cap. N. Bischoff de politica rerum. General. Studii



ADDITIONAL ORATIONEN
DE ABRE ALIENO PRINCIPUM

PROFESSOR IN THE SCHOOL OF DIVINITY

ACADEMIA SILENTI CAROLINA

JOHANNES X. DE WITTE

§. I.

Instituti occasio et ratio.

Munere Professoris in Philosophia ordinarii a SERENISSIMO PRINCIPE clementissime mihi demandato, cum omnes fere facultatis philosophicae in hac academia prouincias a viris celeberrimis iam occupatas egregieque ornatas perspicerem, campum adhuc vacuum, in quo diligentius excolendo frugi quid pro viribus afferre, commilitonumque studiis vtiliter inferuire liceret, circumspiciendum esse putavi. Cui proposito *disciplina de reipublicae rite administrandae ratione* tanto magis arrisit, quod illam et olim in *Italia nostra, Henningio Arnifaco et Hermanno Conringio*, praestantissimis meliorum scientiarum doctoribus, exultam, et nuper in plurimis Germaniae academiis laetius efflorescere, et amice cum Iurisprudentia, cuius in castris pariter militamus, conspirare videremus. Patcis ergo de *studii politicie satis*, ac praesertim de partium eius nobilissimarum, *Politicae et disciplinae cameralis (Polizey- und Cameralwissenschaft) snibus ac iusta notione* praemissis, nonnullas de vtili ac necessario illarum in academiis studio, deque *commodis*, ex diligentiori earum cognitione, Themidis alumniis prouenientibus, meditationes in medium afferre decreuimus.

§. II.

I. *Succincta scientiae politicae historia* ¹⁾

a) *antiquissima.*

Disciplinae ciuilibus primordia ad eandem cum ipsis hominum societatibus originem adscendunt. Quam primum enim homines in ciuita-

¹⁾ Chr. Gottfr. Hoffmanni *diff. de satis studii politici*. Lips. 1715.

ciuitatum confortia transirent, viri, quibus *meliori de luto formarat pectora Titan*, consiliis, legibus, manu, communem studebant utilitatem promouere, sociorum animos manufactiores reddere, ac ne quid detrimenti respublica caperet, prouidere. ²⁾ Posterius salubria maiorum instituta sancte custodiebant, leges et effata sapientum ad nepotes transferebant. Crescente vero in dies experientia, aucto ciuium ciuitatumque numero, euanescente priscae vitae morumque simplicitate, pericula salutis publicae cum prauis hominum cupiditatibus creuerunt atque noua consilia magisque complicatam gubernandi rationem pepererunt. Ac primo quidem artem politicam *Spartae, Athenis, Romae, Lycurgo, Solone, Numa* legumlatoribus, iuuenilibus quasi tirociniis vires suas exercuisse videmus. Quemadmodum autem nulla formari potest artium theoria, nisi longaeua praxis et experientia, vnde notiones ac regulae generaliores sumantur, praecesserit, sic vniuersa quaeque *politices* disciplina per plura saecula legibus solummodo singularum Graeciae ciuitatum, celebrioribus sapientum et oratorum effatis, regum denique et imperatorum rebus gestis comprehensa fuit, donec *Socrates*, philosophiam a coelo ad terram reuocans, studia discipulorum ad vtilissimam hanc cognitionis humanae partem diligentius excolendam propelleret. ³⁾

§. III.

b) antiqua.

Socrates nulla quidem scripta, sed discipulos, et ipsos summa sapientiae fama nitentes, et nomen laudemque magistri per vniuersum literarum orbem celebraturos reliquit. E quibus *Plato* in libris *de republica*, deque *legibus* ferendis perfectiorem politiae disci-

2) Horat. Serm. I, 3. v. 103 sqq.

3) 'Αυτοίς περί ἀνθρώπων ἂν αἰεὶ διηλεγέτο, σκοπῶν, τί εὐσεβεῖ, τί ἀσεβεῖ, τί καλόν, τί ἀσχηρόν, τί δίκαιον, τί ἀδίκον, τί σωφροσύνη, τί μακροχρόνιον, τί ἀνδρεία, τί δειλία, τί πάλις, τί πολιτικός, τί ἀρχὴ ἀνθρώπων, τί ἀρχαῖοι ἀνθρώπων, Xenophon Memorab. Socr. I, 1.

disciplinam effinxit; ¹⁾ *Xenophon* autem suauissima *Cyropaediae* fabula aliisque scriptis huc pertinentibus, optima prudentiae civilis exempla reliquit. Duumuiros istos exceperit *Aristoteles*, celeberrimus *Platonis* discipulus, et ipse numerosae philosophorum scholae caput, qui prudentiam civilem (*αρχιτεκτονικήν*) acaomaticis lectionibus non docuit modo, verum etiam, quod ante ipsum nemo praefiterat, ex plurimis graecarum ac barbararum gentium constitutionibus, incredibili diligentia collectis et ordinatis, ²⁾ *systema politices vniuersale*, hominum istius aevi genio accommodatum neque nostra aetate spernendum, concinnauit. ³⁾ Praeceptoris vestigia *Theophrastus* cum magna ignobiliorum peripateticorum caterua legit, quorum autem opera politica temporum iniuria perierunt. ⁴⁾ Romanorum vero scriptorum, qui ex professo civilem prudentiam attigerit, nullus praeter *Ciceronem* reperitur, ⁵⁾ cuius autem opus *de republica* fere totum, vna cum magna tractatus *de legibus* parte interiisse dolemus.

§. IV.

c) *media.*

Horrendis illis mediæ aevi temporibus diu cum melioribus mularum artibus sepulta iacuit prudentiae civilis disciplina. Scholasticorum enim philosophorum sectae, ultra *Aristotelem* non sapientes, omni historiae rerumque publicarum cognitione destitutæ, sterilibus ac ridiculis argutiis insudabant, seque inuicem fophi-

1) Succinctam instituti Platonici descriptionem nuper accepimus a *Barthelemy*, in libro mellito: *Voyages du jeune Anacharsis*, IV, 286. versione *Bislerianae*.

2) *Diog. Laert.* Lib. 5. §. 27. ultra centum et quinquaginta, alii plus quam 250 tractatum istorum numerant.

3) *Reisen des jüngern Anach.* V, 204 sqq.

4) *Cicero* de finibus V, 4.

5) ad *Quint. frat.* II, ep. 14. de diuinat. II, 1.

IV

sophisticis verborum captationibus ac superstitionis haeresum criminationibus dilacerabant. Quis autem ista aetate de optima reipublicae constituendae forma, de prudentia legislatoria, de civium moribus et ingeniis rite formandis, de tuenda ac promovenda securitate saluteque communi, de meliori agrorum, opificiorum et commerciorum cultura meditari cogitasset, ubi pontificum romanorum astutia uniuersam fere Europam spissis superstitionum tenebris inuolutam tenebat, ubi bellum omnium contra omnes exarserat ac fortioris voluntas pro legibus stabat? Euanescente tandem circa Saeculum XVI. tyrannide papali, compositis per Germaniam bellorum priuatorum tumultibus, legibus politicae imperio singulisque prouinciis latis, mitescens in dies et principum et gentium Europaeorum moribus, pacis artes laetius effloruerunt ac politicae sapientiae studium cum humaniore literatura post longum exilium rediit. *Nicolai* praesertim *Machiavelli* princeps magnam scriptorum politicorum vel pro vel aduersus ipsum pugnantium manum prouocauit, quorum nomina sigillatim hic recensere, nec instituti fines patiuntur, nec commodi ratio suadet. Alii enim in Platonis et Aristotelis vestigiis iusto timidius haerent, alii codicis sacri praeceptis et exemplis imperandi rationem concinnare, vel commentariis ad *Tacitum* et *Linium* politicis prudentiam civilem docere, vel arcana rerum publicarum recludere satagunt; alii sententiarum et axiomatum politicorum flores ex omni antiquitate studiose colligunt, alii denique fabulis et emblematis principes ac regna, quemadmodum aut sunt aut esse debent, depingunt; omnes autem fere in eo conueniunt, ut, pro saeculi genio, vanae eruditionis ostentationi nimis indulgentes, infructuosis digressionibus lectorum fastidium moueant illosque de rebus, quas discere cupiunt, parum instructos dimittant. ¹⁾

§. IV.

¹⁾ Scriptorum illorum cognitionem exhibet *Covringius* T. III. Opp. p. 149g.

d) *noaa.*

Saeculo tandem praeterito prudentiae civilis studium *Anglorum, Gallorum, Italarum ac Belgarum* maxime solertiam excitavit, quorum scriptores praestantissimi claram in hac eruditionis parte lucem accenderunt. Nec non per *Germaniam* pro dignitate atque utilitate sua diligenter amari et excoli coepit, ¹⁾ in quo, quemadmodum in aliis studiis frugi plenissimis, *Italia* nostra caeteris fororibus facem praetulit. Ut enim *Henningum Arnisaenum* nostratrem et alios taceam, qui ab initio saeculi huius, cum docendo tum scribendo, non sine eruditorum applausu, prudentiam civilem illustrarunt, nominare liceat *Conringium*, virum *πολυμαθησικτον*, cuius praeclara in academiam non modo nostram, verum etiam in vniuersum literarum orbem merita, donec literis honos suus habebitur, iustis laudibus celebrabuntur. Vidit enim, quod ante ipsum pauci, veterum solummodo vestigia legendo nihil effici, nisi quis recentioris aevi genio penitius explorato, praesentisque regnorum ac rerumpublicarum status cognitione instructus ad politicam philosophiam accedat. Quare iam circa medium saeculum XVII. ²⁾ nouam, illisque temporibus paratu maxime difficilem disciplinam, *statisticam* nempe, procreauit, illique rerum nouissime gestarum historiam iunxit. ³⁾ Neque eum, temporis sui studio nimis indulgentem, antecessorum in arte, quam profitebatur, labores neglexisse putaueris, testes sunt scita eius de scriptoribus ante se politicis iudicia, vna cum optimis in Aristotelem, Tacitum, Machiavellum et aliorum tractatus commentariis. ⁴⁾ In ipsa vero civili

1) Auctorum politicorum catalogum exhibet *de Real Science du Gouvernement*, T. VIII.

2) Ipse terminum, quo lectiones statisticas Helmsladii habere coepit, indicat T. IV. Opp. p. 44.

3) Vid. e. g. Opp. T. IV. p. 1-520. T. VI. p. 658 sqq.

4) Opp. T. III. p. 422-723. T. II. p. 973 sqq.

ciuili prudentia melius excolenda tanta cum diligentia versatus est, vt nullam eius fere partem, ne intactam quidem, sed nec inornatam reliquerit, neque omnes solum, qui ante, sed et multos, qui post ipsum hanc disciplinam aggressi sunt, longè superauerit. Primus enim cum *Bodino* doctrinas de contributionibus, de aerario Principum constituendo, de re numaria, de commerciis, de vectigalibus aliisque ad oeconomiam politicam spectantibus argumentis, lectu dignissima protulit, principumque diligentiam ad hanc prudentiae ciuilis partem direxit. 5)

§. VI.

e) recentissima.

Sed hoc quo viuimus saeculo, quod *philosophico-oeconomicum* haud inconcinne vocaueris, multo laetius effloruit prudentiae politicae studium, tantaque nactum est incrementa, vt in plurium systema disciplinarum excresceret, ac non perfunctorie, quemadmodum haecenus, nec a singulis, verum ex professo et in plures diuisum prouincias pertractandum esse videretur. Progrediente enim per vniuersam fere Europam humanitatis artiumque meliorum cultura, aucto in dies rerum et veritatum nouiter repertarum vel curatius enucleatarum numero, allatis ex longinquis regionibus, luxus et industriae nutrimentis, crescente denique per legationes, foedera, bella, peregrinationes, commercia, gentium Europaeorum aemulatione, rerumpublicarum forma complicatior administrataeque multo difficilior reddita est, et intellexere principes, quantum ipsorum interesset habere ministros atque consiliatores, politicae rerumque cameralium maxime peritos, quantamque melior disciplinarum politicarum cultura saluti ciuium communi asserret vtilitatem. 1) Quae cum ita sint, praestantiores Germanorum eruditi, et laudibus et praemiis ad excolendas politices et oeconomiae, tam publicae

5) testantur hoc potissimum meditationes eius T. III. et IV. Opp. collectae.

1) Rüdiger über die systematische Theorie der Cameralwissenschaften. (Hal, 1777.) p. 21.

publicae quam priuatae, disciplinae prouocati, toti in hoc fuerunt, vt per omnem saeculorum praeteritorum penum disiecta ciuilibus prudentiae membra feligerent, selecta nouis et ipsorum et exterorum inuentis ornarent, meliorem in ordinem redigerent, atque ineptum illum scholasticorum modulum, cui omnes haecenus scientiae conformatae fuerant, abiicientes, politicae prudentiae templum, aeni recentioris genio, praesentique rerumpublicarum conditioni magis accommodatum aedificarent. Ac primis quidem saeculi nostri deccennis in academia *Halensi* *Thomasius* cum *Ludewigio*, ²⁾ in *Italia* nostra *Treuerus*, ³⁾ *Lipsiae* *Frankensteinius*, ⁴⁾ in explicando *Seckendorffii* libello ⁵⁾ fuerunt occupati, donec anno 1727. a *Friderico* *Guilielmo*, *Borussiae* rege, binae disciplinarum cameralium professorae speciales, *Halae* nempe et *Francofurti ad Viadrum*, constituerentur. ⁶⁾

§. VII.

Continuatio.

Quod autem aliis institutis humanis nouiter emergentibus tantum non omnibus accidere solet, vt homines inuidiosi ac uetustatis amantes progressus eorum impediunt, improbi vel imperiti, peruerse iis utendo, noceant, id nostrae quoque scientiae contigisse non

- 2) Vid. *Thomasii* Anmerk. zu *Melch. von Ofse Testament*. Hal. 1717. 4. *Fr. Wideburg* de vita et scriptis *I. P. de Ludewig*, (Hal. 1757. 8.) p. 79.
- 3) *Annal. Academiae Iuliae Semestre II dum* p. 9.
- 4) *Rädiger akademische Laufbahn für Oeconomen und Cameralisten*, (Hal. 1783.) p. 16.
- 5) *Veit Ludwig v. Seckendorf Teutscher Fürstenstaat*. prima vice 1655 prae- lum reliquit, postea sensim auctus et emendatus repetita vice prodiit. *Pütter Literatur des teutschen Staats*. I. p. 226.
- 6) *I. P. v. Ludewig* progr. von der auf der *Univ. Halle* neu angericht, *Profession in Oeconomia - Policy - und Cameral - Sachen*, in *Eius Anmerk. zu Seckendorfs Fürsten - Staat*. *Ditmeri et Gasseri Einleitung in die Cameralwissenschaften*. *Rössig pragmatische Geschichte der Oeconomia*. p. 36.

VIII

non miremur. Cum enim vniuersa rerum diuinarum atque humanarum cognitio, pro inueterata illa academiarum conditione, quatuor facultatum quasi cancellis circumseptae sit, ac nihil in academiis toleretur, nisi quod apud vnam vel alteram harum facultatum ciuitatis ius nactum esset, disciplinam quoque cameralem, recens aduenam, ad tribum philosophorum, tamquam commune omnium nouiter inuentorum receptaculum, ablegarunt, vbi in philosophiae practicae curia, cui *Wolpius* ipsam adscripserat, non sine suo incommodo; diu delituit. ¹⁾ Aduentabant porro circumforanei nugatores, qui arcana politica vel oeconomica magno crepantes hiatu, credulorum damno ditescere studerent; ²⁾ alii denique, principum gratiam aucupantes, prudentiae cameralis summam in eo positam esse contendebant, vt reditus principum quouis modo auerentur, tributaque noua subditis imponenda speciosis nominibus iurisque praetextibus ornarentur. ³⁾ Quae omnia quantis incommodis scientiam nostram affecerint, dici non potest. Sed nihilominus bona causa triumphauit, et viri optimi, spretis practico- et empiricorum conuiciis, coeptum opus indefesso labore profecuti sunt. Alii enim, vel singuli, vel in societates oeconomicas collecti, physices et historiae naturalis cognitione instructi, quaecumque ad agrorum, pecudum, hortorum, siluarum, metallorum curam atque culturam pertinerent, vndequaue collegerunt ac congruis experimentis certiora reddiderunt; ⁴⁾ alii artibus, quas dicunt mechanicas, describendis, ac chemiae, matheos et botanices auxilio promouendis

1) *Schlözer allgem. Staatsrecht.* (Goett. 1793. 8.) Vorr. IX. Rädiger *Systemat. Theorie.* p. 23. *Moshammer Gedanken über die neuert. Anstalt, die Cameralwissenschaft, in Flor zu bringen.* p. 47.

2) in vernacula lingua *Projectmacher*, quos breuiter describit *Schlözer* I. c. p. 11. vid. etiam *v. Sonnenfels Grundsätze d. Polit. Handl. u. Finanz.* P. III. praef.

3) *I. C. E. Springer von den Gränzen der Cameral-Oeconomie - Finanz- und Policy-Wissenschaft.* (Hal. 1767.) p. 7. 8.

4) *I. Beckmann Grundsätze der Landwirtschaft,* vbi scriptores citantur praestantissimi.

mouendis operam dederunt; ⁵⁾ nonnulli porro vniuersum artis
 mercatoriae reiue numariae ambitum meditationibus ingeniosis
 illustrandum sumserunt; ⁶⁾ plures denique in eo fuerunt occupati,
 vt recentissimam et patriae et caeterarum Europae rerumpublica-
 rum conditionem vel vniuerse consideratam, vel potissimo respectu
 ad earum administrationem, oeconomiam, rem opificariam et com-
 mercia habito describerent, ⁷⁾ legesue praestantiores ad curam po-
 litices spectantes colligerent. ⁸⁾ Atque his demum fundamentis
 rite iactis, tanto facilius regulae de publica priuataque securitate ac
 salute tuenda, de intellectu moribusque ciuium vna cum industria
 commerciisque promouendis, de vitae commoditatibus augendis,
 de speciali vrbium et pagorum cura, de tributis et regalium do-
 maniorumque redditibus iusto modo colligendis, prudenter admini-
 strandis et in publicam vtilitatem erogandis, formari, illisque firma
 politiae cameralsique disciplinae systemata superstrui potuerunt. ⁹⁾ Sed
 non scribendo solum, verum etiam docendo disciplinarum politica-
 rum studium a Germanis est excultum. Plures enim principes, sin-
 gulari illarum vtilitate cognita, largis stipendiis doctores ad eas
 in

5) Vid. Beckmanni, Adelingii, Sprengelii, Hallenii, Iacobsonii, Lungii aliorumque scripta huc pertinentia.

6) Prae ceteris hic nominandi videntur Büschius et Ebelingius. Lectam scriptorum huc pertinentium bibliothecam sinit Beckmann Anleit. zur Handlungs-wissenschaft. Goett. 1789. 8.

7) Huc pertinent praestantissimi disciplinae statisticae scriptores, quorum catalogum exhibet I. G. Meusel Literatur der Statistik, Lips. 1790. 8. cuius augmentum prodiit ibid. 1793.

8) Bergii et Beckmanni Sammlung der Landgesetze.

9) Scriptores huc pertinentes sicut Beckmanni Cameralisten-Bibliothek, Nürnberg. 1762. 8. Kößig Literatur der Oeconomie v. F. 1790. Lips. 1791. 8. Beckmann physikalisch-öconomische Biblioth. Krünitz öconomische Encyclopädie. Allgemeines Repertorium der Literatur für die Jahre 1785-1790. VIIItes Fach Staatswissenschaft. Literatur, et IXtes F. gewerbwissenschaft. Lit. Westphal jurist. Bücherkunde (Lips. 1791.) §. 19 - 23.

in academiis docendas pronocarunt, ¹⁰⁾ ac *Lutras Caesaræ* quidem specialis *academia cameralis*, postea *Heidelbergam* translata, ¹¹⁾ *Gießæ* vero noua *facultas oeconomica* fuit introducta. ¹²⁾ Neque priuata *Büschii* aliorumque familia instituta silentio sunt præterenda, ¹³⁾

§. VIII.

II. *Definitio et fines*a) *Politiae (der Polizey.)*

Si verum est effatum illud *Iauoleni*: *omnem in iure ciuili definitionem periculosam esse*, ¹⁾ multo magis hoc de politia disciplinae camerali definienda valere debet. Cum enim, quemadmodum ex superioribus patet, vniuersa de rebus publicis doctrina (*Staatswissenschaft*), quam a veteribus sub vno, *Politiae*, nomine ²⁾ rudem et indigestam acceperamus, haud ita pridem pro dignitate excoli atque in partes suas dislocari coeperit; ³⁾ mirum non est, multas adhuc in definitionibus rite formandis et finibus cuiusque partis regundis disensiones ac difficultates occurrere.

Ac

10) Recentiores disciplinarum cameralium doctores academici enumerantur in *Fr. Xav. Moshammeri Gedanken und Vorschläge über die neuesten Anstalten teutscher Fürsten, die Cameralwissenschaft auf hohen Schulen in Flor zu bringen. (Regensb. 1782. 8.)* p. 13-27.

11) *Plan der hohen Cameralschule. Lautern 1776. 8.* Sed videantur de eiusmodi institutis *Schlözeri* monita in *Briefwechsel II. 45. p. 86 sq.*

12) *Schlettwein Grundriss der öconomisch. Facultät zu Gießen, 1778.*

13) *Büsch v. Geldsumtauf. T. II. p. 580 sqq.*

1) L. 202. de R. I.

2) *Πολιτεία*, doctrina de vrbe, quoniam, optime monente *Schlözero* (*Allg. StR. p. 2.*) in puillis Graecorum ocllocratiis ciuitatis et reipublicae cura, politia et politica (*Polizey und Politik*) vnum idemque erant. Vnde etiam singularis latine de instituto nostro scribendi difficultas elucet.

3) partes illas scitissime disposuit *Schlözer* l. c. p. 9-27. et in *Sytemate Politices. Götting. 1771.*

Ac potissimum in *Politia* (*Polizey*) definienda, propter infinitam obiectorum et insiditorum eius multitudinem, tanta est inter eruditos diuersitas, vt qui omnes afferre velit vocis huius significaciones, integrum librum conficere cogeretur. ⁴⁾ Quare nonnulli de perfecta politiae definitione prorsus desperarunt. ⁵⁾ Alii enim, finem et media miscentes, descriptionem magis, quam definitionem afferunt; ⁶⁾ alii *politicam* (*Staatsklugheit*) cum *politia* confundentes, fines huius disciplinae iusto nimis dilatant, ⁷⁾ quos alii contra magis coarctandos esse putant. ⁸⁾ Quae cum ita sint, et nos iudicium aequitatis amantium veniam impetraturos esse confidimus, si in re tam difficili ausibus excidisse videamur. Cum autem summus artis, quae in administranda republica versatur (*Regierungskunst*) finis esse debeat, vt communis felicitas, quantum quidem per *ius gentium* vel *publicum vniuersale* licet, legibus et viribus ciuium coadunatis ferretur ac promoueatur, ⁹⁾ *politica* vero (*Staatsklugheit*) potissimum iis facillimo modo assequendis vel euitandis prouideat, quae immediate vel extrinsecus vniuerso reipublicae corpori prosunt aut nocent, ¹⁰⁾ non inepte forte *politiam* dixeris, eam gubernandae ciuitatis partem, cui eorum, quae mediate singulisque reipublicae partibus nocere vel prodesse possunt, seu

4) ab Hohenthal liber de Politia, Prol. §. 2.

5) *Leyser* Meditatt. ad Pandeët. Spec. 684. m. 35.

6) *Heumann* initia iur. Politiae. C. VII. §. 45. *Hommel* Literat. iur. p. 150.

7) *Achenwall* Staatsklugheit. P. II. C. 16. §. 23. v. *Jusli* Grundsätze der Polizeywissenfch. Einl. §. 7. *Stung* Grundlehre der Staatswirthschaft, S. 612 sqq.

8) v. *Sonnenfels* Grundsätze der Polizey, Handlung u. Finanz. T. I. §. 19.

9) *Feder* Lehrbuch der praëtischen Philosophie, p. 511. *Cicero* pro P. Sextio, C. 46. Epp. ad Atticum VIII, 11.

10) Ce n'est pas le bonheur des Particuliers pris séparément, que la Politique se propose, c'est le bien commun de l'Etat. *de Real Science* du Gouvern. T. VI. p. 19. cf. *Contring* tr. de finib. imperii in praefat. (Opp. T. I. p. 124.)

seu tuendae securitatis internae, remouendorum industriae, cum vrbanae tum rusticae, impedimentorum, vitaeque commoditatis promouendae cura demandata sit.¹¹⁾ Sic *disciplina politiae* (*Polizeywissenschaft*) definiri posset, complexum eam esse regularum ordine congruo dispositarum, de remediis et institutis, quibus ad istos fines certissime ac facillime peruenire liceat.¹²⁾ Eoque modo praecipuas politiae partes definitione expressisse, eamque ab aliis confinibus disciplinis segregasse speramus. Nam tuendo, prouidendo, ornando, politiae potestas se exerit; non belligerando, pacifcendo, iure dicundo, vel aerario curando, quorum ista duo ad politices, illud ad iurisprudentiae, hoc ad disciplinae cameralis officia pertinere videntur.

§. IX.

b) *disciplinarum cameralium* (*Cameral-Finanzwissenschaft*).¹⁾

Eadem difficultate laborat disciplinarum cameralium rite definendarum consilium. Alii enim vel omne politices ac disciplinae cameralis discrimen abrogantes, sub hac vniuersam reipublicae administrandae scientiam (*Staatswissenschaft*) comprehendunt,²⁾ vel studium principale cum adminiculis confundentes, tantum non vniuersam eruditionem ad disciplinae cameralis forum euocare student;

11) Cf. Moser *Landeshöh.* in *Polizey-Sachen* S. II. §. 2. Pütter *init. iur. publ.* §. 321.

12) Varia sunt politiae cognomina pro diuersitate obiectorum vel locorum, in quibus ista cura praecipue exercetur, e. g. *Reichs-*, *Staats-*, *Kreis-*, *Land-*, *Stadt-*, *Dorf-*, *Schul-*, *Kirchen-*, *Strassen-*, *Bergwerks-*, *Sagd-Polizey* etc. Cf. *Sung Grundlehre der Staatswirtschaft*, §. 796.

1) Vox Camerae iam olim locum tutum significauit, vbi thesauri publici adseruantur. Cf. *du Fresne* et *Haltausi* glossaria, h. v. *Financia* saepius in medi aevi diplomatibus et scriptoribus occurrit, ibique tributorum speciem significat. Descendere autem videtur a vocabulo *finis*, quod istis temporibus poenam pecuniariam significauit. Cf. *Speelmann, Wacker, du Fresne*, Etiamnum in lingua Anglica *fine* significat multam.

2) *Rüdiger System*, p. 45. *Lawprecht über das Studium der Cameralwiss.* (Hal. 1783.) p. 15.

dent; ³⁾ alii vero in alteram partem diuergentes, rem cameralem in specie dictam ab aerarii publici administratione (*Staatswirthschaft*) segregant illique curam eorum tantum reddituum adsignant, qui proxime principem aulaeque sustentationem concernunt; ⁴⁾ alii denique administrandae reipublicae summam in augendo principis aerario ponentes, non caute satis disciplinae cameralls notionem formare videntur. ⁵⁾ Saepissime enim consiliarii principum et rerum cameralium prouisoires, vana veri specie seducti, praecipuum reipublicae finem in hoc ponendum, vt aerarium aut fiscus locupletior, princeps potentior redderetur, ciuium autem felicitatem secundario vel instrumenti loco habendam esse putarunt. Ex quibus peruersis principiis quanta populis regibusque mala gignantur, experientia docet quotidiana. ⁶⁾ Quae cum ita sint, prouidi rerum aestimatores, *reipublicae opes* (*Landescapital*) ab aerario (*Staatscapital*) separantes, illarum quidem augendarum curam specialem, *oeconomiae politicae* (*Staatswirthschaft*), huius autem constitutionem et administrationem, collegio camerali vel financiarum adsignarunt. *Oeconomiam ergo publicam*, quam vernaculorum nonnulli *Handlung, höhere Polizey, höhere Finanzwissenschaft*, vocant, ⁷⁾ eam politices partem, quae in stabiliendis et augendis vniuersis reipublicae viribus (*Landescapital*) occupatur, seu, *Büschio* definiente, scientiam esse putamus, quae omnibus societatis ciuillis necessitatibus prouidere, singulisque illius membris

3) (v. Pfeiffer,) *Lehrbegriff sämtlicher öconomischen und Cameralwissenschaft.* IV. S. 196.

4) Rössig *Encyclopädie der Cameralwissenschaft.* pag. 17. et 75.

5) Sackow *Cameralwissenschaft.* S. II 199.

6) Schmid *Zusammenhang zwischen der Land- und Stadtwirtschaft, der Handlung, der Polizey, dem Finanzwesen und der Staatswirtschaft,* (Lautern 1776. 4.) p. 24 199.

7) v. Sonnenfels I. c. Tom. II. v. Springer I. c. p. 28.

XIV

summam, pro cuiusvis conditione, felicitatem parare studet. ⁸⁾ Quibus praemissis, *disciplinam cameralem* recte quis dixerit, subordinatam oeconomiae politicae scientiam, quae sumtus publicos iusta cum opibus vniuersis proportionem dimensos ⁹⁾ conuenientissimo modo colligere, collectos fideliter administrare iisque sapienter et in communem vtilitatem vti docet. ¹⁰⁾ Atque in iis prouinciis, vbi *Camera* (*Rentcammer*) a *financiarum collegio* separata est, illi administrandi, huic autem quantitatem reddituum necessariam, iustumque eos colligendi et erogandi modum definiendi cura commissa esse videtur.

§. X.

III. De vili politiae rerumque cameralium in academiis studio. ¹⁾

Quamuis autem in describendis harum disciplinarum finibus varie dissentiant inter se rerum politicarum doctores, omnes tamen in eo conueniunt, studium illarum in academiis quouis modo promouendum esse. Quid enim? cum quodlibet in societate ciuili negotium peculiarem requirat institutionem, neque vllam tam vile sit opificium, quod non methodo quadam fixoque tirocinii spatio gau-

⁸⁾ *Büsch Abhandl. von dem Geldumlauf*, Lib. III. §. 3. *Semer Beytrag zur nähern Bestimmung des Begriffs der eigentlichen Staatswirthschaft u. ihres Gebiets*, Mannh. 1794. 8.

⁹⁾ vnde principium: *Das Staatscapital muß mit dem Landescapital gleichen Schritt halten*. *Schlözer* l. c. p. 24. *Springer* l. c. Cauendum ergo est, ne illo promouendo, huic noceatur, quemadmodum e. g. in Gallia olim factum esse videmus, vbi sale grauioribus incho tributis (*Gabelle*) onerato, pecudum cultura magnum passam est detrimentum.

¹⁰⁾ *Achemwall Staatsklugheit*, P. II. C. 13. §. 16. *Lehrbegriff sämtl. öcon. u. Cameralwiss.* IV. §. 196 199.

¹⁾ *H. G. Franke de cultu et neglecto iterum in academiis studio politico necessariaeque illius instauratione*, Lipsf. 1762. 4. *Tafinger von der Lehre der Polizeywissenschaft auf teutschen Universitäten*, Tübing. 1767. 4. *Ueber das Studium der öconomischen u. Cameralwissenschaft*, Erfurt 1739. 8.

gaudeat, politiam vna cum re camerali, praecipua salutis publicae fundamenta, nullo theoriae meditationisque specialis adiumento dignas putabimus? Cum porro in caeteris artibus, singulis solummodo nocere possit ignorantia, rem publicam autem si quis illotis manibus administrare praesumat, communem civium salutem in capitale saepe periculum deduci, regnaque maxime opulenta peruersis principum ac gubernatorum parum instructorum consiliis interisse videmus. Quodsi vero unquam accuratior disciplinarum nostrarum cognitio utilis ac necessaria visa fuit, hoc sane tempore maximi debet esse momenti, quo politices studium uniuersum apud omnes fere gentes Europaeas tanta cepit incrementa, ut quaeuis respublica pari culturae passu cum caeteris non progrediens, aut a vicinorum astutia opprimatur, aut a maleuolis civibus dilaceretur. Ac prae caeteris quidem principes et ii, qui gubernacula ciuitatum tenent, accurata politices uniuersae cognitione carere nequeunt; deinde, politiae rerumque cameralium cura cum tam late per omnem rempublicam pateat, ut eius causa plurima munera publica sint constituta, iis, qui vno vel altero illorum subeundo de patria bene mereri cupiunt, harum disciplinarum studium non esse negligendum apparet; quicumque denique ultra vulgus sapere deque praecipuis populorum institutis ac rebus per Europam nouissime gestis rite iudicare volunt, eos fugituo saltem oculo politicarum scientiarum ambitum perlustrasse oportet. Quid? quod primae de patriae forma et administratione lineae, vna cum generalioribus societatis ac prudentiae ciuilibus praecipuis, ad perfectam omnium ciuium institutionem pertinere videntur. Tantum enim abest, ut ciues, claris et iustis de rebus politicis ac patriis notionibus imbuti, principibus bonis minus obsequentes reddantur, ut fideliores potius et ad parendum alacriores euadant, legesque, quas publicae salutis esse fontes et fulcra didicerunt, vitro ac libenter obseruent, quibus ignorantes non nisi poenarum metu perterriti solent obtemperare. Abeat igitur inueterata illa politicorum et optimatum nonnullorum superbia, praeter obsequii gloriam, nihil prorsus concedendum esse civibus existimans;

stimans; euanescat formidolosa veterum pragmaticorum inuidia, circumfundens omnia mysteriorum superstitione; crescat denique ingentia ac prouida de rebus publice gestis iudicandi scribendique libertas, quam a sapientissimo regum procreatam, hisce diebus in patria maxime nostra, sub clementissimi Principis tutela, florere uideamus. Vbi uero iustam acquirendi disciplinarum politicarum notitiam maior esse potest opportunitas, quam in academiis, artium bonarum omnium seminariis? ²⁾ Id quod intellexere principes maxime Germaniae, politise rerumque cameralium studia in academiis suis, quemadmodum supra monstrauimus, omni modo promouentes, cum in exteris literarum uniuersitatibus iaceant adhuc neglecta. ³⁾ Quamuis autem sola theoretica institutione, nisi experientia succedat, perfectum politiae rerumque cameralium administrationem non efformari concedamus, maxime tamen falleretur, qui, illa neglecta, sola praxi absolutam reipublicae gubernandae peritiam acquiri posse confidat. Cum enim tot tamque diuersae sint salutis publicae tuendae ac promouendae species, ut omnibus usu et experientia comprehendendis, humanae uitae breuitas non sufficiat, cumque, nisi quis uniuersam rerum gerendarum compagem ex omni parte perspectam ac probe ponderatam habeat, nec uitari pericula, nec errores corrigi, nec commoda promoueri secure possint, theoriae uero studium longe facilliori ac breuiori uia ad amplissimam ac perfectissimam negotiorum huc pertinentium cognitionem deducat, optime et patriae et sibi consulere uidentur, qui rite iactis in academia ciuilibus prudentiae fundamentis, a generalio-

²⁾ Büsch 1. c. Tom. II. p. 596. *Zusti Staatswirthsch.* praef. p. XII sq.

³⁾ de neglectu isto nuper acerbè conquestus est. *A. Kluit*, Prof. Lugd. in scripto: *Jets over den laatsten Engelschen Oorlog met de Republiek en over Nederlands Koophandel* (Amsterd. 1794. 8.) ibi p. 351: "ad promouendam, inquit, patriae salutem maxime necessarium esset, iuuenibus occasionem, praeter iurium, theologiae, medicinaeque studia, prudentiam quoque ciuilem in academiis discendi. Iustis enim principibus respublicae sunt administrandae, quae uero apud nos nec docentur, nec discuntur."

ralioribus eius præceptis ad specialia praxeos experimenta progrediuntur.

§. XI.

IV. De necessaria iurisprudentiæ cum disciplinis illis coniunctione.

Quodsi ergo politiæ rerumque cameralium studium, generatim consideratum, tantam affert utilitatem, maxime sane *Themidis* alumnis necessarium omnique modo commendandum esse videtur. Vt enim illam *Ulpiani* de iurisprudentia definitionem, ¹⁾ vel dupondiis notam, omnemque veterum philosophorum sapientiam sub se comprehendentem, ²⁾ taceamus, nostris præsertim temporibus omnia fere iurisprudentiæ munera cum politiæ rerumque cameralium cognitione tam arctis sociata sunt vinculis, vt absque hac administrari commode nullo modo possint. Ac primo quidem *iuris publici* scientia, cum in definiendis cuiusque reipublicæ et imperantis iuribus et obligationibus versetur, ³⁾ adeoque omnem fere de salute publica tuenda, de fisco, de domaniis ac regalibus materiam comprehendat, politiæ disciplinæque cameralis auxilio carere nequit. ⁴⁾ Cum porro permultæ *iuris civilis* partes, aut de dignitatibus et muneribus publicis, aut de ciuitatis administratione, aut de fisci et aerarii prærogatiuis facientes, ⁵⁾ vna cum *legum criminalium* codice a politiæ fonte emanauerint, omnem quoque illarum interpretandarum et applicandarum rationem ex huius disciplinæ cognitione repetendam esse apparet. Magnam denique *legum ac constitutionum Germanicarum*, siue imperialium, siue prouincialium partem, politiam atque oeconomiam publicam

con-

1) §. 2. I. de D. et I. L. 10. §. 2. D. h. t.

2) *Cicero* de offic. II, 2.

3) *Putteri* Instit. Iur. publ. §. 5.

4) *Fischer von der Verbindung und dem Verhältnisse der Cameralwissenschaften zum teutschen Staatsrechte*, Hal. 1783. 8.

5) Potissima Pandectarum, Codicis ac Nouellarum huc pertinentia loca collegit *Beger* conspectu corporis iuris p. 1-29. Spectant huc quoque plurimi tituli de Interdictis (Lib. 43. D.) etc.

XVIII

concernere, ⁶⁾ *iustitiae vero causas*, ab iis, quas *politicae* dicunt, tam parum differre, vt fines earum commode regi vix possint, nemo, rerum nostrarum haud profus ignarus, inficias ibit. ⁷⁾

Quibus de causis iam apud Romanos adeo inualuit praesumptio, nosse ICtos et *reipublicae statum*, ⁸⁾ et optimam illius administrandae tuendaeque rationem, vt nullis fere, nisi publici priuatiue iuris peritis ciuitas gubernanda concederetur. ⁹⁾ Nostra vero aetate cum in tantum excreuerit administrandae reipublicae cura, vt munerera mere iuridica, ab iis, ad quorum exercitium plenior politiae rerumque cameralium cognitio requiritur, decies fere numero susperentur, ¹⁰⁾ cumque rarissime scire queant iuris studiosi, qualem aliquando nacturi sint in patria prouinciam, eos in omnem euentum oportet esse praeparatos. Vt enim *intima principum consistoria, supremaeque regimina* cum aliis collegiis taceamus, vbi legislationis, aerarii ac politiae studium vtramque paginam efficit, ¹¹⁾ plurima per Germaniae prouincias munerera reperiuntur, in quibus iustitiae administratio cum rebus politicis pari passu ambulat. ¹²⁾ Ac *praefectis*

6) *Gerflacher Handbuch der teutschen Reichsgesetze*, P. X. *Bergii et Eeckmanni Sammlung der Landsgef.* cum pluribus aliis collectionib. quas recenset *Heumann* init. iur. polit. Cap. III. IV. *Pütter jurist. Encycl.* p. 112 sqq.

7) *ab Hohenthal* lib. de politia, p. 316 sqq. plures huius asserti testes assert.

8) §. 4. I. de I. et I.

9) *Gausanus* Lect. iur. I, 18. De singulari Tib. *Corruccanii, Attuui Capitonis, Antist. Labronis, Taberentis* et aliorum eius aevi ICtorum prudentia ciuilib. cf. Vitae tripartitae ICtorum vett. a *Frankio* iunctim editae, Hal. 1718. 4.

10) v. *Jussi Staatswirthschaft*, praef. p. XV.

11) Quam sinistra saepe se gerant, qui vltra Tribonianum non sapiunt, si quando de rebus politicis sententia sit dicenda, vnum *Ottou. Taboris* exemplum doceat: Qui, ab Electore Palatino, de auertendis Gallorum vaticinationibus in consilium vocatus, *Lego Aquilia* contra illos agendum, ratus est.

12) *Pütteri jurist. Encycl.* §. 90. *Schott Encycl.* §. 325. *Sung Lehrb. d. Cameralwiss.* §. 146.

folis quidem (*Amtleute, Beamte*) non iudiciorum solum, verum etiam omnium negotiorum cameralium, regiminalium ac politiae cura per districtum ipsis demandatum (*Amtsbezirk*) incumbit. Quaecumque enim aut ad ruralem subditorum industriam promouendam, aut ad reditus camerales et tributa colligenda, aut ad publicam securitatem tuendam, aut ad militem legendum, aut ad opera publica iuraque territorialia facta tecta seruanda pertinent, ea debent ab ipsis geri ac prouideri. ¹³⁾

His autem, qui in liberis imperii ciuitatibus, praesertim maritimis, *senatorio* vel alio munere publico rite fungi cupiunt, vniuersum scientiarum politicarum ambitum cognitu maxime necessarium esse, ex rerumpublicarum istarum conditione patet. ¹⁴⁾ Urbium denique municipiorumque prouincialium *magistratibus*, cum proprie sint collegia politiae causa constituta, securitatis, salubritatis, amoenitatis, annonae, opificiorum, aerarii, aedilitatis maxime curam gerendam esse, inter omnes constat. ¹⁵⁾

Sed

13) v. *Zustl Grundsätze der Polizeywillf. S. 493.*

14) Cf. *Volkmanni, Senat. Hamburg. vita, a Günthero elegantissime descripta in Schlichtegroll Necrolog. ad ann. 1792. p. 72 sqq.*

15) Optime magistratuum inferiorum officia exponit edictum regium, annonae curam concernens d. d. Baruthi 23 Ian. 1793. his verbis: "Denn a) die Ordnung und Strenge bey Eintreibung der herrschaftlichen Gefälle, b) die Wachsamkeit über die landesherrlichen Befugnisse, c) die Auseinandersetzung recht. Streitigkeiten, machen nur einen Theil der Incumbenz und Handlungen eines gewissenhaften Beamten aus. Auf ihm ruht vorzüglich d) die Aufsicht und Beförderung des Wohls der Unterthanen, und wenn er hierunter sich nachlässig bezeigt, so gewähren alle seine übrigen Beamten - Kenntnisse Uns und dem Lande wenig Nutzen. Wir --- wollten, das e) in alle Punkte eingegangen werde, die auf die Erleichterung und Verbesserung des Schicksals Unserer Unterthanen Bezug haben, und das Beamte, Magistrate und andre Unterstellen bis zu dem Grade hierüber wachen, das f) dasjenige, was dem Wohl des Landes entgegen ist, so weit sie können, sogleich abstellen, bey wichtigen Vorfällen aber bey Unserer Regierung gutächthlich anfragen.,, Cf. *Brunn Magaz. zur nähern Kenntn. des phys. u. polit. Zust. v. Eur. T. III. fasc. 3. p. 282 sq.*

Sed nec ii, qui in collegia *mere iuridica* leguntur, vel *forensia* partium negotia gerenda suscipiunt, aliquali saltem politicae cameraliumque disciplinarum cognitione carere possunt, cum quotidie fere de rebus oeconomicis, mercatoriis aut opificiariis, de praediorum emtione vel locatione, lites oriantur, aut pupillorum patrimonialia, aut debitorum communium negotia veniant administranda. ¹⁶⁾

Quibus omnibus permoti praestantissimi legum antecessores, et ipsi res politicas, cum docendo, tum scribendo, illustrandas sumferunt, ¹⁷⁾ et auditores ad illarum studium cum iurisprudentiae disciplina coniungendum omni modo cohortandos esse iudicarunt. ¹⁸⁾

§. XII.

V. De congruo iurisprudentiae cum studio camerali consociandae modo.

Ne vero, cum et iurisprudentiae et disciplinae cameralis studia tam late pateant, ut singulis rite pertractandis academici triennii curriculum vix sufficiat, de vtriusque coniunctione desperandum esse videatur, periculum facere liceat, viam, qua illa commode perfici possit, monstrandi. Quamvis enim et reipublicae et studiosorum causa valde optandum esset, ut veterum illud quinquennium a iuris cultoribus etiamnum observaretur, semel inueteratae tamen consuetudini parentes, hoc saltem absque iniquitate desiderari posse confidimus, ut iuvenes bene praeparati literarum vniuersitates accedant, ibique per iustum triennii spatium res suas fideliter agant.

Ac

¹⁶⁾ v. *Maffow Handbuch der Literatur, angehenden Justizbeamten gewidmet.* (Berol. 1794.) §. 228 sq.

¹⁷⁾ vid. *Lipentii bibliotheca iurid.* voc. politica, politica, agricultura, praedium rusticum, etc.

¹⁸⁾ cf. *Stockhausen* de coniunctione iurisprudentiae atque oeconomicae, politicae et scientiae cameralis in specie, Lipsi. 1768. 4. *Benj. Gottfr. Hommel* de vtili ac necessaria rerum oeconomico-politico-cameralium cum studio iuris in academia coniunctione.

Ac primo quidem plures, quas auxiliatrices vocant scientias, cum iuris, tum rerum cameralium studio, communes esse videntur, ¹⁾ deinde inter eos, qui vni vel alteri disciplinarum illarum ex professo sese dicarunt, discrimen est faciendum. Quemadmodum enim rerum cameralium studiosis plures scientiae suae partes diligentius ac seorsim excolendae, ²⁾ nonnullae vero disciplinae, specialiter in auxilium vocandae sunt, ³⁾ quas *Themidis alumnus* aut coniunctim, et vno quasi obtutu perlustrat, aut futurae solertiae, si forte suaserit utilitas, reseruat; sic contra *huic* vniuersum iurisprudentiae regnum peragrandum est, cuius *illi* praecipuas solummodo partes quasdam nosse debent. ⁴⁾

Quae cum ita sint, *iurisprudentiae studiosis* collegium encyclopaedicum, omnem reipublicae administrandae doctrinam, ac possimum *politicae rerumque cameralium* disciplinam complectens, ma-

- 1) Inter has potissimum numerantur a) linguae cum veteres tum recentiores, b) logica et metaphysica, c) philosophia practica, d) mathesis pura et applicata, e) historia, maxime recentioris aevi, imperii R. G. et patriae specialis, f) statistica, g) physica, h) historia naturae, i) diaetetica etc.
- 2) Quinque potissimum disciplinae principales ad studium camerale pertinere videatur: A. *Doctrina de republica administranda* (*Staatsklugheit, Regierungskunst*), cuius partes sunt a) *politica* cum speciebus suis (*Bevölkerungs-, Gesetzgebungs-, Bildungs-, Handlungs-, auswärtige Politik*), b) *politica*, (*Polizeywissenschaft*) c) *disciplina cameralis* (*Finanzwiss., Cameralpraxis*). B. *Oeconomia*, qua comprehenditur a) omnis agricultura (*Acker-, Wiesen-, Garten-, Weinbau, Vieh - Bienen - Seidenwurmzucht, Jagd und Fischey*), b) cura silvarum (*Forstwissenschaft*). C. *Metallorum et salinarum scientia* (*Bergwerks- Salzwerkskunde*), cum eius partibus. D. *Technologia*, cui nonnulli rem salinariam adnumerant. E. *Mercatura*, vbi notanda potissimum cambiorum, monetarum, mercium, rationum cognitio (*Wechsel-, Münz-, Waarenkunde, Buchhalterey*).
- 3) e. g. a) botanica oeconomica, b) chemia technologica, c) architectura oeconomico-ciuilis, d) geometria practica et subterranea (*Markscheidungskunst*), e) mineralogia, f) politica medica, g) ars veterinaria (*Vieh-arzneykunde*), ars delineandi (*Zeichenkunst*).
- 4) ex iure potissimum Germanico, cum publico tum priuato,

maxime commendandum esse putamus, cui, pro cuiusque conditione, vna vel altera doctrina specialior iungi poterit. Atque hoc quidem modo iurisprudentiae cultorem absque studii sui principalis detrimento, perutilem disciplinarum illarum ideam, proprio in posterum Marte, sicubi necessitas aliqua superuenerit, curatius excolendam acquisitum esse speramus. ⁵⁾

Quod autem ad eos attinet, qui negotiis potissimum cameralibus sese accingunt, illi quidem omni legum scientia prorsus carere nequeunt, verum nec obsoletis Triboniani subtilitatibus irretiendi, nec Canonistarum deliciis remorandi, nec rerum feudaliū ac criminalium recessibus fatigandi, nec iuris Germanici antiquitatibus iusto nimis detinendi esse videntur. ⁶⁾ Qua de causa nonnulli recentioris aevi Icti in eo fuerunt occupati, vt praeceptis legalibus, politiam, oeconomiam, remque cameralem spectantibus, ex omni Germanorum iure, cum publico, tum priuato, cum domestico, tum peregrino, collectis, specialem iuris politiae ac cameralis disciplinam conformarent. ⁷⁾ Quam si rerum cameralium studiosi cum *encyclopaedia iuris*, stylique curialis (*Canzley-Praxis*) exercitationibus iunxerint, sufficientem vsibus ipsorum iuris notionem eos nacturos esse putamus.

Sed

- 5) v. *Jussi Grundriß aller öconom. u. Cameralwissensch.* Frf. 1759. 8. *Springer öconom. u. cameralist. Tabellen*, Frf. 1771. 8. *Rüdiger Grundriß d. preuss. Cameralwesens in einer Tabelle*, Hal. 1781. 8. *Lamprecht Entwurf einer Encyclopädie u. Methodol. der öconom. polit. u. Cameralwiss.* Hal. 1785. 8. *Rössig Encyclop. der Cameralwiss.* Lipf. 1792. 8. *Benckendorf oeconomia torensis, oder kurzer Inbegriff derjenigen landwirthschaftl. Wahrheiten, welche allen Gerichtspersonen zu wissen nöthig sind*, Berol. 1775-1780. 4.
- 6) *Rüdiger akad. Laufbahn*. p. 94.
- 7) *W. G. Tufinger über den Zweck des teutschen Politzey- und Cameralrechts*. (Tubing. 1787. 8.) §. 26. 29. 31. *Heumann initia iuris politiae Germanorum*. Norimb. 1757. 8. *P. C. G. ab Hohenthal liber de politia*. Lipf. 1776. 8. *F. C. I. Fischer Lehrbegriff sämmtl. Cameral- u. Politzeyrechte*. Fil. ad V. 1785. 8. Tom. III.

Sed illuc redeundum, vnde omnem hanc prolusionem ex-
orsus sum. Nam SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
CAROLI GVILIELMI FERDINANDI, DVCS BRVN-
SVICO-LVNEBV RGENSIS clementia, demandatam mihi in hac
academia *professionem philosophiae ordinariam*, pro more legibus-
que maiorum, *crastino Saturni die, qui est mensis huius decimus*
tertius, hora locoque consuetis, oratione solempni,

*de aere Principum alieno, *)*

sum auspicaturus. Quem actum, vt *Magnificus Academiae Pro-*
rector, Patres, Professores ac Proceres, vtriusque, cum litera-
riae tum civilis Reipublicae summe venerandi, Doctores et Magi-
stri, suo quisque loco maxime colendi, *Cives huius literarum uni-*
uersitatis, moribus, ingeniis, doctrina, genere lectissimi, prae-
sentia sua condecorare dignentur, quam decentissime rogo, meque
hanc fauoris, amoris, benignique de studiis meis iudicii tesseram,
animo gratissimo seruaturum, ac quibusuis officiorum generibus
promeriturum esse, sancte promitto.

Dabam Helmstadii a. d. XII. Septembris MDCCXCIV.

*) ad occasionem *Edicti Ducalis*, nuperis Maii Calendis per terras Bruun-
suico - Guelpherbytanis promulgati, *die gegenwärtigen u künftigen Fürstl.*
Cammer - Schulden betreffend.

Helmstädt, Diss., 1786-95

ULB Halle

3


004 327 586



f
56.







Ioannes Nicolavs Bischoff de politica rerumq. camerarum. studio

1794 1/10 16

AD
AVDIENDAM ORATIONEM
DE AERE ALIENO PRINCIPVM

QVA
PROFESSIONEM PHILOSOPHIAE ORDINARIAM
IN
ACADEMIA IVLIA CAROLINA

AVSPICATVRVS EST
A. D. XIII SEPTEMBRIS MDCCXCIV.
OBSERVANTISSIME INVITAT
IOANNES NICOLAVS BISCHOFF, D.

*Praemissa sunt nonnulla de politica rerumque camerarum
studiis, iuris cultoribus maxime necessariis.*

HELMSTADII
LITERIS C. G. FLECKEISEN, TYPOGR. ACADEM.

